

Sane fideles omnes hac de causa uti Christum, sic B. Virginem assidue corde, ore et opere gestare deberent: imo in B. Virginem quasi transire et transmutari, sicut ferum igne candens transit in ignem, et sicut panis fermento conditus in fermentum quasi immigrat et transit. Unde Christus se suaque comparat fermento. *Mat.* XIII, 33. Atque hac de causa Christus suam carnem reliquit in Eucharistia, optante, et forte orante id B. Virgine, utpote intime fideli cuique per omnia temporum sæcula uniret et incorporaret.

Vide hic eximiam charitatem Christi et B. Virginis in hoc, ut nos vicissim in eum cor totum defigamus, imo in eum quasi transeamus, ac dicamus cum S. Paulo: *Quis nos separabit a charitate Christi?* Certus sum quia *neque mors, neque vita, etc.* *Rom* VIII.

9° FORTE IPSA ORANTE, SUAM NOBIS CARNEM IN EA  
RELIQUIT CHRISTUS.

(Vide Supra: IX, 656, 2.)

10° FUIT ORDINATA SACERDOS MYSTICA, ET IN OMNIBUS  
COGITATIONIBUS SUIS, VERBIS ET ACTIONIBUS ORDINATA  
ET DISPOSITA.

Vide supra: SANCTOS ORDINES, etc. v. 229, 1 et 2.)

## XXV

## MARIA NOSTRA MATER.

1° MARIA OMNIUM HOMINUM MATER, (Vide supra:  
PRO OMNIBUS INTERCEDIT, v. 579, 2.)

*Deinde dicit discipulo, ecce mater tua.* (Joan. XIX, 27). — Et tuorum collegarum apostolorum cæterorumque fidelium, quorum personam Joannes hic repræsentat; quare fideles omnes ad eam quasi ad matrem confugere oportet cum magna fiducia et amore, uti docet S. Bernardus, cujus verba jam recitavi. Ipsa ergo vera est fidelium Eva id est mater viventium. Ita ad illam recurrere omnes sapientes et sancti quolibet ævo.

Audi S. Augustinum, serm. *de Passione: Ecce mater tua*; curam, inquit, illius habe; eam tibi commendo, suscipe matrem tuam. Dum hæc pauca diceret, illi duo dilecti lacrymas fundere non cessabant, tacebant ambo illi Martyres, et præ nimio dolore loqui non poterant. Isti duo virgines Christum audiebant et voce loquentem, et ipsum videbant paulatim morientem, amare flebant qui amare dolebant; nam gladius doloris Christi animas utrorum transibat.

2° QUOMODO SIT MATER NOSTRA.

*Sapientia laudabit animam suam etc.* (Eccli. XXIV, 1 et seq.) — Ipsa nobis est mater et causa omnis sapientiæ, id est prudentiæ et sanctitatis; hanc enim

XVI  
618  
1

IX  
618  
1

per ipsam nos accipere vult Christus, qui non per aliam quam ipsam, naturam nostram induere elegit. Quare sicut de Christo incarnato, ait S. Paulus, [1, 30, quod factus sit nobis *sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio*: Sic Christus idem analogice concessit suæ matri, ut causaliter fieret nobis sapientia, justitia et sanctificatio, quia per illam nos suæ gratiæ, sapientiæ, justitiæ et redemptionis voluit fieri participes et compotes. Deus ergo illam nobis æque ac sibi statuit matrem, ac ad eam, quasi matrem in omni tentatione, difficultate, defectu virium et gratiæ nos voluit recurrere, ac per eam omne bonum omnemque gratiam impetrare, itaque in ea jugiter laudare Deum.

3º BEATO JOANNI QUASI MATER OCCURRIT.

IX  
436  
1

*Et obviabit illi quasi mater honorificata.* (Eccli. xv. 2.) — Optime hoc convenit B. Virgini quia ipsa innumeris velut aliis misericordia circumdata, illico advolat, ut miseris opituletur.

Unde S. Anselmus, lib. *de Excellent. Virginis*, cap. vi: « Velocior, inquit, est nonnunquam salus, memorato nomine ejus (id est *Marie*), quam invocato nomine Domini Jesu. » Et rationem reddit: quia ad Christum tanquam ad judicem pertinet etiam punire, ad Virginem tanquam ad patronam, nonnisi misereri.

Porro B. Virgo proprie quasi mater occurrit B. Joanni, utpote ei a Christo in cruce data in matrem. Quocirca Ecclesia, in festo S. Joannis, hæc legit loco epistolæ. Et Albinus Flaccus, qui jussu Caroli

Magni imperatoris homilias patrum collegit, hæc adaptat S. Joanni, ejusque festo.

4º EJUS DELICIE SUNT ESSE CUM DEO ET FILIIS  
HOMINUM.

*Et deliciae meæ esse cum filiis hominum.* (Prov. viii. 31.) — Mystice quoque hæc attribues Virgini Deiparæ: sapientia enim Dei simili modo ludit et prælusit in figuris, quibus adumbrata fuit B. Virgo, in Eva, in arca Noe, in arca testamenti, in rubo ardenti et incombusto, in virga Aaron frondenti, etc. Rursum Deiparæ deliciae sunt esse cum Deo, utpote filio suo, et cum filiis hominum, quibus filium hunc genuit; unde *Cant.* viii, dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?*

V  
211  
2

In quæ verba B. Petrus Damianus, serm. *de Annuntiat.*: « Non est locus voluptatis, ait, nisi uterus Virginis. »

Hinc ipsa a nobis et a tota Ecclesia quotidie salutatur et invocatur: « Salva, regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo, et spes nostra, salve. »

5º DILIGENTES SE SUMME DILIGIT.

*Ego diligentes me diligo.* (Prov. xiii. 17.) — Mystice, B. Virgo diligentes se diligit, sed longe majori dilectione, idque *primo* quia ipsius charitas est ardentissima. Nam Spiritus sanctus, in eam superveniens, « velut ignis ferrum, totam decoxit, incanduit et ignivit, ita ut in ea Spiritus sancti flamma tantum videatur,

V  
215  
1

nec sentiatur nisi tantum ignis amoris Dei et hominis, » ait S. Ildephonsus, *serm. 1 de Assumpt.*

*Secundo*, quia ipsa est mater Christi, quare quos Christus summe dilexit, ut vitam pro eis daret, ipsa pariter summe diligit quasi Christi filii filios suosque nepotes. Unde Origines, tom. 1 in *Joan.*, in præfatione docet « Mariæ filium esse dominum Jesum Christum, et præterea omnem eum, qui est perfecte christianus : qui enim hujusmodi est, non amplius vivit ipse, sed in ipso vivit Christus ; et ideo de eo dici potest Mariæ : *ecce filius tuus* Christus. »

B. Petrus Damianus, *serm. 1 de Nativ. Virg.* : « Scio, ait, Domina, quia benignissima es, et ames nos amore invincibili, quos in te et per te filius tuus et Deus tuus summa dilectione dilexit. Quis scit quoties refrigeras iram iudicis cum justitiæ virtus a præsentia deitatis egreditur ? In manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini ; et sola electa es cui sola gratia conceditur. »

Addit summum amorem virginis junctum esse summæ potentiæ et efficaciam : « Fecit, ait, in te magna qui potens est, et data est tibi omnis potestas in cælo et in terra. »

Causam subdit : « Quomodo illa potestas tuæ potentiæ poterit obviare, quæ de carne tua carnis suscepit originem ? Accedit enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans, domina, non ancilla. »

6° EJUS CHARITAS EST ARDENTISSIMA.

(Vide infra. 8, UNUS IDEMQUE EST HABITUS, v, 215, 1.)

7° CHRISTIANOS MIRIFICE COMPLECTITUR.  
(Vide supra : v. 215, 1.)

8° HABITUS CHARITATIS QUO DILIGIT EOS EST MAXIMUS.

Unus idemque est habitus charitatis, quo diligitur Deus et proximus, teste S. Thoma II<sup>a</sup> II<sup>æ</sup>, Q. XXV, art. 1. Cum ergo habitus charitatis, quo diligit Deum sit maximus in Deipara, sequitur et habitum (ac consequentur actum, qui habitui adæquatur), quo diligit homines, in eadem esse maximum.

Nos ergo diligimus eam habitu et actu intenso, v. g., ut octo; illa autem nos diligit habitu et actu intenso ut millio, sive ut millies millesies : Quantum ergo millio superat octonarium, tantum dilectio Virginis superat nostram.

v  
215  
1